Quelle: http://manuscripta.at/?ID=505
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tes que audierant. Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus
meis. Hec ideo dicimus. ne putemus nos gratie inferioris cum temptamur.
et maioris cum quodam dulcedinis potu quieti lactamur. et sine pertur-
batione. Temptat deus quos diligit. flagellat omnem filium quem
recipit. Recepturus autem omnis filius. modis super diffinitis temptatur
primo quidem sic. inde sic. tertio autem sic. Et quod dico sic. et sic. et sic. tria
temptationum genera designo. Et est varietas in temptationibus. et dif-
ferentia in remediis contra temptationes. et secundum multitudinem
dolorum nostrorum in cordibus nostris. sua nos consolatione letificantium.
et letificatio prioris consolationis et remedium a potestatibus exhibetur.
que ne quis novitate vite redeat tremefactus. et confortant per spiritum
fortem timoris et scientie. Familiare donum est timor noviter conver-
sis. quia ideo compellit graviora et aspera sustinere. et graves et asperas temptationes
pellere vel sustinere. ne quid contingat deterius. et fiant novissima peio-
ra prioribus. Et tunc rigidus est timor: cum scis esse timendum. et scis quid
timeas. et times quod scis. et scis esse timendum. et ideo vis ideo esse tim-
dum. Et ideo sustines vias duras. viribus duris. viribus potestatum
non tuis. que et confortant ne redeas. et cum placuerit ei qui te temp-
tavit per gratiam suam. conferant maiorem gratiam. et imperent ventis
et mari. et fiat tranquillitas magna. Tranquillitas ut libeat om-
nino novi propositi asperitas. et subeas pondus diei et estus. non timo-
re pene sed consuetudine bona et delectatione virtutum. Et est
gradus iste tertio sublimior: quoniam in illo iste quidem vivis nemine
aliud suadente. hic vero fortiter acres temptationum congressus
excipiens. in cedis per arma iusticie a dextris et a sinistris. Quod virtutes operentur in v. gradu.

Et gratia tranquillitatis huius adepta. maiorem desideras. avarus
virtutum. gratiarum cupidus. celestium famelicus epularum. Et si tunc
cesserit ex voto facultas. minus sentis beneficia. minus diligis a-
micum. quia celeritas adipiscendi. et quasi ultro collata tran-
quillitas. et minus allicit animum. et desiderium non implet. et ve-
nit in fastidium. et per hoc differt. et tu amplius desideras. et petis
et non accipis. et queris et non invenis. Sic extenditur affectus. crescit